

majori Discretarum parte in Abbatisſæ placitis consentiente, poterunt aliæ quoque tuta conscientia vel tacere, vel approbare; quia in dubiis prudenter aliorum sequimur consilium. Azor. 1. 2. lib. 4. c. 3. q. 17.

Quar. 6. An Vicaria, & Discreta possint saltem tacere, si prævideant, quod contradicendo, vehementer contristabitur Abbatisſa, atque adeo illas torvis oculis aspiciet.

Resp. Non posse, quando agatur de rebus ad bonum commune maxime conducentibus; nam, ut dici solet, scandalum potius permitendum est, quam veritas deferenda. Debent tamen tale medium adhibere, ut contradicendo, humaniter, & suavius procedant. Unde si aliqua ratione res verborum lenitate temperari valet, integra tamen, & illæsa semper veritate, id omni conatu debent procurare. Rodriq. 99. Regul. 1. 2. q. 45. art. 4.

Quar. 7. An excusentur tacendo, quando prævident, Abbatisſam irritandam, & magis ex contradictione in sua sententia obfirmandam.

Resp. Videri, quod sic. Quia sicuti correctio fraterna tunc intermittenda est, quando timeatur, ne ob illam frater fiat deterior, juxta tradita a D. Th. 2. 2. q. 32. a. 6. Ita Vicaria, & Discreta, quando rationabiliter suspicantur, eorum consilium potius obfuturum, quam profuturum, prudenter agent, tacendo, aut in tempus opportunius differendo. At contrarium est tenendum. Nam correctio duplex est. Quædam, quæ provenit ex charitate, & tunc tantum exercenda est, quando fructus speratur. Altera, quæ ex justitia proficiscitur, quæ nullo pacto est omitenda, etiam si nulla futuræ emendationis spes proponatur, bono publico

id

id exigente. Unde cum in nostro casu consilium, quod a Vicaria, & Discretis præstatur ad actum potius justitiæ pertineat, non videtur prætermittendum, quamvis ex illo nullus fructus speretur. Ita Rodriq. loc. cit. a. 7. Quod si prævideant bonum publicum magis periclitari loquendo, non peccant, si taceant, quia hoc non est damno communitatis cooperari, sed ipsius majus damnum avertere. Verum diligentes attendant, ne his inanibus suspicionibus, & humanæ imbecillitatis commentis sui officii partes omitant.

Quar. 8. An Vicaria, & Discreta peccent mortaliter de monialium transgressionibus Abbatisſam non admonentes.

Resp. Peccare; quia si in hac parte nimium dissimulent, religiosa observantia in communitate labefactatur; quare graviter peccant, sicut peccaret Abbatisſa sciens tales transgressiones, & non corrigens, cum posset; nam etiã ipsæ ratione muneris tenentur communitatis bono consulere. Ita Suarez, &ægidius.

f. III.

De Obligationibus Magistræ Novitiarum.

Quar. 1. Quo, per quod tempus, & a cujus ætatis eligi debeat Novitiarum Magistræ.

Resp. Inspicienda esse cujusque Religionis statuta. Secundum Regulam S. Benedicti electio Magistræ spectat ad Abbatisſam; Superior tamen ex justis causis ad se talem electionem avocare potest, ac decernere, ut electio postea facta per Abbatisſam sit nulla. Sac. Congreg. in Flor. 14. Novem. 1603. Eligi debet ac mutari quotannis; nec consanguineam vel

vel aliæ moniales se ingerant in instruendi Novitiis, in *Pisan.* 13. *Julii* 1618. Sit maturioris ætatis, & quæ saltem trigessimum quintum annum expleverit, ut de Novitiorum magistro statuitur in Decreto Clementis VIII. *sub die* 19. *Majj* 1603.

Quar. 2. Ad quid teneatur Magistra, ut recte suum munus obire possit.

Resp. Teneatur experiri Novitias quoad constantiam in vocatione, quoad capacitatem ad spiritualia exercitia, & etiam ad corporales labores juxta varietatem personarum decenti modo, & unicuique accommodato, & etiam juxta statum vel Choristarum, vel laicarum, quem intendunt assumere. Illas in cultu Dei, & religionis observantia debet erudire, sicut præcipit Concilium Provinciale Mediolanense 1. sub D. Carolo Borromæo p. 2. de *Monial.* §. de *Præfatis*: Assiduis admonitionibus ita eas instruere sataget in spiritualis, & sanctæ vitæ ratione, ut progredientes Deo adjutore, perfectæ ejus ancillæ possint evadere.

Quar. 3. Quomodo Magistra instruere Novitias debeat circa regulam.

Resp. Debet illas instruere in his, quæ ad regulæ substantiam spectant, idest secundum significationem generalem, & simplicem verborum cujuscunque voti, obligationis, aut præcepti in regula contenti. Nam Novitiæ ad professionem admitti non possunt, nisi de regula, quam profiteri volunt, notitiam habeant, quia juxta D. Th. 1. 2. q. 76. a. 2. communiter receptum, quisque addiscere tenetur, & nocere pertinentia ad suum statum, idest leges universales status, seu officii, quod assumere intendit, ut bene declarant Vasq. Azor. & Sanch. in *dec. lib.* 1.

c. 16. n. 35. Cum ergo Novitiæ assumere intendant religionis statum, parer, teneri ad præfatam regulæ intelligentiam, priusquam professionem emittant; unde tenebitur Magistra ex vi muneris illas instruere, cum Novitiæ sint ejusdem curæ ad hunc effectum commissæ. *Duard. loc. cit. disp.* 16. *sect.* 34. n. 2.

Quar. 4. In quibus præcipue debeat Magistra Novitias exercere.

Resp. In oratione, & meditatione, cum hæc sit medicina malorum, quibus ægrotant, in lectione librorum spiritualium, ut discant, quid agendum sit, quid vitandum; nullo modo libri prophani sunt permittendi; in Sacramentorum frequentia, quia summopere conducit ad comparandam animæ puritatem; in jeuniis, vigiliis, ciliciis, & disciplinis, maxime a regula præscriptis. Debent arceri a conversatione sæcularium, etiam consanguineorum, & non nisi valde raro, & ex causa graviori permitendus accessus; siquidem non solum distrahantur, & amore eorum, quæ reliquerunt iterum ad mundana resiliunt, sed etiam gravissimis tentationibus exponuntur.

§. Quar. 5. An Magistra debeat in spiritu lenitatis, vel rigoris Novitias regere.

Resp. Cum *Rodriq. 99. Regul. tom. 3. q. 26. a. 10.* rigore potius, quam lenitate esse educandas. Quia *Proverb. 10.* præcipitur: *Noli subtrahere a puero disciplinam: si enim percussis eum virga, non morietur, tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* Cautè tamen procedat, ne Novitiæ radio religionis affectæ ad sæcularem libertatem resiliant.

Quar. 6. An Magistra correctionis causa

Novitiam percuciens excommunicationem Canonis contrahat.

Resp. Titulo correctionis licitum esse Novitiarum Magistræ, illas castigatione moderata punire, prout ratio culpæ, & qualitas personæ exigat, ac consuetudine receptum est. Quare nullam incurere excommunicationem tradit aliis relatis Diana *l. 5. in opere coord. tr. 2. ref. 14.* Ubi ex Silv. & Toletio docet, Canonis excommunicatione affici Magistram, si percuciat prætextu correctionis, non tamen ex fine corrigendi, sed ex odio, quia ex fine correctionis tantum est concessa facultas ad percucendum. Notat tamen Turrianus *de cens. lib. 4. disp. 29. d. 2.* tale odium, a quo moveretur, debere aliquo signo externo manifestari, alias non potest Ecclesia eum actum punire.

Quar. 7. An prædictam censuram incurrat Magistra excedens modum percussionis relatæ ad correctionem.

Resp. Affirmat Gloss. in cap. universitatis de sentent. excommunic. Negat pariter eademmet Gloss. in c. cum voluntate eod. tit. Hanc contrarietatem conciliat Diana ex Silvestro, Toletio, & Tabiena, docens, non contrahi hanc censuram, quando excessus est venialis, quia sine mortali culpa non infligitur gravis pœna, contrahi vero, quando excessus est gravis, quia sub gravi, & irrationabili modo non cœsetur cœcessa talis facultas.

Quar. 8. Quomodo se gerere debeat Magistra, si dubitat, an Novitia sit nec ne ad professionem admittenda.

Resp. Exponat fideliter Abbatissæ, & Capitulo novitiæ mores, ac qualitates, nec non defectus illos, ratione quorum hæsitat, an sit vel non sit admittenda. Confessarium in-

super, aut alium virum idoneum consulat, & illorum prudentiæ, ac consilio acquiescat. Vech. in praxi Novit. disp. 12. dub. 3. n. 4. Ubi advertit, quod imperfectiones temporales, seu corporales, si notabilem deformitatem non afferant, neque impediunt Novitiam ab obligationum regulæ observantia, non sunt causa sufficiens ad ipsam expellendam, quia re vera ob tale impedimentum non cœsetur inhabilis, nisi conjungatur cum alio defectu, qui inhabilitatem inducat.

Quoad imperfectiones spirituales, addit idem Vecchius, quod prudenter se gerere debet Magistra, eo quod fragilitas humana est charitative ferenda, eo vel maxime, quia valde difficile est habitus vitiosos brevi tempore superare. Concludit denique, facilius esse delinquere in exclusione, quam in admissione Novitiæ, eo quod exclusio a religione fieri nequit tuta conscientia, nisi intercedat aliqua gravis causa, quamvis necessario non debeat esse mortifera. Admissio vero licite fieri potest, si Novitia ea saltem habilitate polleat, qua obligationes regulæ disciplinamque regularem observare valeat, sitque aliquo modo utilis religioni.

Quar. 9. An Magistra possit ex charitate occultare aliquod novitiæ impedimentum, pro quo non potest jure secundum religionis statuta profiteri.

Resp. Non posse; quia talis occultatio cœderet in grave monasterii detrimentum, quod Magistra tenetur impedire tum ratione officii, tum ratione boni publici, quod debet privato Novitiæ commode anteferri. Et hoc procedit etiam si tale impedimentum fuisset Magistræ sub secreto detectum, quia ex D. Thom. 2. 2.

q. 70. a. 1. ad o. custodia secreti non potest in Magistra impedire fidem, quam debet ratione muneris Religioni. Peccaret igitur occultando, & Novitia profitemens non esset vere professa, si religionis statutum esset auctoritate Pontificis confirmatum cum clausula irritante: quia stante tali clausula, & impedimento, nulla est potestas in admittente. Sanch. in sum. lib. 4. c. 1. n. 60. Secus autem si nullum extaret decretum irritans, quia ex jure canonico nulla ægritudo, etiam mortifera annullat professionem; imo ex eodem jure contrarium elicitur; nam collatio facta criminosa improbat quidem tanquam illicita, sed non reprobatur ut nulla. Felin. in c. postulasti de rescript. Cæterum si impedimentum sit omnino occultum, & nullum ex illo imminuat religioni detrimentum, celari potest, & debet. Salmatic. tom. 3. Theol. moral. tr. 5. c. 3. par. 4. n. 71.

Quar. 10. An negligentia Magistræ in experiendo Novitiam tempore probationis possit impedire professionem expleto anno faciendam.

Resp. Negative. Quia non est de substantia novitiam actualis probatio, sed satisfactio. Novitiam permanere sub obedientia in religione, & se ad probationem necessariam exponere. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. c. 14. n. 15. Vech. cit. dub. 8. n. 6. Ubi docet Magistram negligentem graviter peccare, quia defectu probationis contingere potest, quod admittatur inhæbilis ad ferendam cœnæ religionis, cum magna observantiæ regularis jactura; vel impotens ad officia exequenda juxta statum, quem assumit, cum notabili monasterii detrimento, & cæterarum monialium incommodo.

Quar. 11. Ad quid teneatur Magistra

circa puellarum secularium educationem.

Resp. Teneri impendere totam illam diligentiam, & curam, quam præstare debent parentes. Magistra enim stat loco parentum ratione muneris, &, ut advertit Coninch. dis. 28. dub. 5. n. 68. acquirit conjunctionem quandam, & quasi specialem cognationem cum puellis suæ curæ commissis. Quare tenetur illas in fidei articulis; præceptis Dei, & Ecclesiæ, nec non in aliis ad salutem pertinentibus instruere; ad virtutis, & orationis studium, Sacramentorumque frequentiam promovere. In manuum quoque operibus juxta ususque statum, & conditionem exercere; delinquentes corrigere, etiam, si opusest, moderate verberando. Nullatenus eis permittendi sunt amatores, neque fuci, aut ornamenta superflua, ut adamentur, quamvis puellæ hoc faciant, ut in uxores a juvenibus appetantur. Ideo enim a parentibus in monasterio recluduntur, ut ab amatorum aspectibus, & colloquiis separata, in Dei timore, & disciplina educantur. Unde Magistram in supradictis notabiliter negligentem a culpa lethali non excuso, siquidem graviter deest suo muneri, ratione cujus tenetur privato puellarum suæ curæ commissarum bono consulere, ut communiter firmant Doctores.

Quar. 12. An Magistra possit indulgere puellis, ut ad honestam animi relaxationem ludant sacras preces.

Resp. Negat Ludov. Lopez 2. par. instruct. cap. 32. quia putat irreverentiam esse, immo etiam simoniam, quando ludentes vellent civiliter se obligare. Sed Navarr. Rebel. & Sanch. quos refert, & sequitur Diana tom. 6.

tract. 4. res. 4. hunc ludendi modum approbant, nec in eo aliquam irreverentiæ speciem agnoscunt, cum potius fiat ob sacrarum precum æstimationem; & sic est in usu inter religiosos, & personas devotas. Nec intervenit simonia, etiam si se obligare intendant, quia est ludus rei spiritualis pro spirituali, quod non est simonia nisi in beneficiis, ut notant in hac materia scribes. Esset tamen simonia, si sacras preces luderent contra rem aliquam temporalem.

§. IV.

De Novitiarum obligationibus, & Privilegiis.

Quar. 1. **A**n Novitiis debeat conferri Sacramentum Confirmationis, antequam suscipiantur ad probationem.

Resp. Quod sic, si commode fieri potest; habetur ex decreto Sac. Congreg. apud Gavant. *Manual. Episc. v. Moniales S. Monial. recept. n. 36.* Quod si non conferatur ante ingressum, debet postea ministrari per fenestellam, per quam moniales Eucharistiam recipiunt. Nec potest Episcopus ob hanc causam ingredi clausuram, nisi monialis esset in periculo mortis, & subinde non posset ad fenestellam ibi confirmanda accedere, & periculum esset decedendi absque illo Sacramento. *Sanch. lib. 6. c. 16. n. 54.*

Quar. 2. An Novitiæ obligentur ad observantias regulares.

Resp. Ex iustitia non obligari, quia cum nondum religioni sint incorporatæ, illius legibus per se, & directe non subjiciuntur. Quia tamen in regularum experimento versantur, illas debent ex convenientiâ servare, tum ut probent, an postea futuræ sint potentes servare ex debito,

bito, qui fuit finis illarum ingressus, tum ne aliis sint scandalo. Ita Rosel. Tab. Silv. penes Peyrin. *de Pralat. q. 3. c. 1. §. 4. n. 106.*

Quar. 3. An saltem Novitiæ voto religionis obstrictæ obligentur ad observantias regulares.

Resp. Negative; quia votum non obligat nisi ad ingrediendum, vel ad perseverandum in religione, & sicut non tenetur ad horas canonicas, qui vovit suscipere Ordines Sacros, nisi fuerit vere ordinatus, ita neque tenetur ad regulæ præcepta, & onera, qui vovit suscipere religionis statum, nisi illum per solemnem professionem suscipiat. Ita Sor. Thel. & Suar. Quod tamen locum non habet, si Novitiæ aliqua se obligavit, ne dum ad religionis ingressum, sed etiam ad præcepta regulæ observanda, quia obligatio voti extenditur juxta intentionem voventis. Verum si aperte non constat de tali intentione, dicendum est ad ingrediendum tantum teneri, quia in dubio possessio fiat pro libertate.

Quar. 4. An Novitiæ teneantur tempore probationis implere vota, quibus in sæculo erant adstrictæ.

Resp. Vota personalia, quæ cum religionis operibus non sunt compatibilia, probationis tempore sunt ipso jure suspensa. Palud. D. Anton. Silvest. & alii, quos refert Vecch. *disp. 10. dub. 5. n. 5.* Si operibus religionis non obstant, aggravent tamen, & reddant difficilem in religione perseverantiam, possunt suspendi per Abbatissam. *Sanch. in summa lib. 4. cap. 33. n. 33.* quia in utroque casu sunt majoris boni impeditiva. Et quia hæc ratio locum non habet in aliis votis, sive personalibus, sive realibus, quæ religionis operibus

non adverfantur, ideo ad illa tenentur Novitiæ, nec possunt per Abbatisam suspendi. In aliquo tantum casu posset suspendi votum reale, nimirum, si Novitia indigeret bonis, quæ habet, ad se alendum, quia monasterium non subministrat alimenta necessaria, vel non sufficientia; tunc enim militaret ratio superius tradita, nam expensis a Novitia bonis in voti executione, redderetur multo onerosior religio, necessaria sustentatione deficiente. Sanch. *loc. cit.* qui advertit *n. 39.* quod Novitia ad sæculum rediens tenetur præfata vota servare, nisi sint annexa temporari, vel illi statui ex ipsius votantis intentione.

Quar. 5. An Novitiæ Regularibus subjectæ subdantur casibus in religione reservatis.

Resp. Si Prælati reservet eos etiam quoad novitias, subjacere. Ita Suar. Layman, Corduba, & aliis penes Lezan. *t. 1. c. 24. n. 7.* Quia Prælati Regularis jurisdictionem habet non solum adversus professas, sed etiam adversus Novitias, quatenus sunt partes religionis ab omni alia jurisdictione exemptæ. Secus vero si eos reservet pro religiosis, nulla facta de Novitiis mentione; quia Novitiæ computantur inter religiosas quo ad favores, secus autem quo ad odia. Possunt tamen per religionis Prælatum absolvi a casibus, & censuris Ordinario reservatis, aut ingressum incurris, Silv. Tabien. & alii communiter. Verum si antequam profiteantur, a monasterio recedant, in easdem censuras reincidere, tradit Rodr. quia absolutio per Superiorem impertita tacitam habet conditionem, si novitia religionem fuerit professæ. Quod tamen negant Suar. Vecch. & Sanctior. quos refert, & sequitur Lezan. *t. 1. c. 5. in mari magno Minor. n. 55.* Quia Novitiæ absol-

vi possunt sicut aliæ professæ: istæ non absolvuntur ad reincidentiam; ergo nec illæ.

Quar. 7. An si Novitia ingrediatur religionem ficto animo, & post aliquot menses, imo post expletum totum annum, mutata sententia, velit profiteri, teneatur annum novitiatus repetere.

Resp. Non teneri, docent Suarez, & Sanch. si per aliquos tantum menses fictum animum retinuit: at quia rationes suadentes de aliquibus mensibus, militant etiam de toto anno; ideo Antonius a Sp. Sanct. absolute sustinet non teneri. Nam novitiatus opere magis perficitur, quam intentione; cum enim novitiatus institutus sit, ut Novitia probeat religionis austeritates, & religio Novitiæ mores, id totum habetur non obstante ficto animo, unde cessat repetitionis finis. Ob quam rationem citatus Sanch. & Portel. *in dub. regul. v. Novitii n. 5.* eximunt a repetitione novitiatus, si contingat ratificari professionem nullam vel defectu ætatis, aut libertatis, vel quia facta est ante completum novitiatus annum, vel ex alio impedimento. Quod absolute non placet Bordono requirente, quod Novitiatus ratificetur a Superiore, ad hoc ut legitimus habeatur.

Quar. 7. An Novitia capitulariter ad professionem admissa, possit ante professionem dimitti, emergente nova causa, vel veteri detecta, sed prius ignorata.

Resp. Possit, ut diximus *c. 2. §. 1. q. 15.* cum Peregrino, cui addo Peyrin. & Vecch. *disp. 22. dub. 7.* Sicut enim revocari potest consensus ab altero conjuge ante ratum matrimonium, si aliquid superveniat, quo cognito non fuissent contracta sponsalia, quemadmodum de jure jur. Ita a Conventu ante professionis emissionem pos-

possunt revocari suffragia valida; valet enim argumentum de matrimonio carnali ad spirituale, *cap. inter corporalia de translat. Episcop.*

Quar. 8. Quam Novitia prius admittenda sit ad professionem, ac præcedere debeat, illane quæ prius acceptata est ad habitum, an quæ prius habitum suscepit.

Resp. Pro Novitia prius acceptata facit, quod ex admissione, & acceptatione anteriori intrat privilegium antianitatis, ratione cuius huiusmodi præcedentia deferri solet, *l. 1 ff. de alb. scrib. l. semper ff. de jur. innum. cum concord. Rota apud Seraphin, dec. 326. n. 3. & in una Melevitana Antianitatis 18. Maij 1533. coram Episcopo Urgellensi.* Verum tenendum est, præcedentiam deberi Novitiæ, quæ prævenit in susceptione habitus; ex quo enim prius suscepit habitum, prius quoque complevit annum probationis, qui incipit ab hora susceptionis habitus. *Anan. conf. 93. n. 6. Bald. in l. cum anterioribus n. 2. C. de tempor. appellat. 18. Maij 1533. coram Episcopo Urgellensi.* Atque adeo prius est vel rejicienda vel admittenda ad professionem, ex Concilio Trident. *sess. 35. de regul. cap. 16.* ubi mandat, finito anno probationis, Novitias ad professionem admitti vel rejici. Qua ratione etiam Sac. Congreg. declaravit præcedentiam deberi ei, quæ prius habitum suscepit. *Barbof. de jur. Eccles. cap. 46. n. 56.*

Quar. 9. An Novitiæ teneantur profiteri secundum rigorem regulæ.

Resp. Non teneri. Ideo enim regula non obligat moniales profestas ad sui ipsius observantiam in suo primo rigore, quia, ex quo per contrariam consuetudinem fuit legitime mitigata, quoad hoc amisit vim obligandi; ergo neque obligabit Novitias ad profitendum se-

cun-

cundum se ipsam in suo primo rigore; quia presentia semel extincta, nullum potest parere effectum. Ita *Bordon. de Pauper. Relig. c. 21. n. 43. ubi n. 45.* subdit, quod, ut Novitiæ sint tutæ in conscientia, non requiritur expressa intentio profitendi secundum regulam mitigatam, sed sufficit implicita virtualiter contenta in consuetudine sic vivendi: quia eadem est virtus taciti, & expressi.

Quar. 10. An Novitia frequentes stimulos, & lapsus carnis experta, possit religiosa vota emittere.

Resp. Videri, quod non; quia votum est de meliori bono, respectu autem talis Novitiæ status religionis non potest esse melius bonum, attestante Apostolo, quod *melius est nubere quam uri.* Nihilominus affirmandum censeo cum *Lugo in resp. moral. l. 1. dub. 28.* Quia Novitia potest prudenter credere sibi expedire magis ad salutem statum religiosum, in quo transacta tentationis vehementia, facilius poterit respicere, & corrigi, cum habeat optima Sociarum exempla, & disciplinæ observantiam. Nec facile sibi potest persuadere, minorem se habituram in sæculo occasionem peccandi contra castitatem, quam in religione, præsertim si nubere non possit juxta status decentiam, & sine gravi incommodo.

Quar. 11. An Novitia delicatæ complexionis, quæ religionis austeritates ita sanitati obesse experitur, ut medicorum judicio vita sit notabiliter abbrevianda, teneatur deserere religionem.

Resp. Visum est aliquibus teneri religionem deserere, quia vitam sibi abbreviando directe se ipsam occidit, quod est illicitum. At posse permanere, & profiteri, sustineo cum *Gobar.*

Confess. Monial.

§. 1. n. 1.

tom. 1. tr. 5. c. 1. n. 54. Quia præceptum de conservanda vita obligat solum ad evitanda pericula, quando non adest rationabilis causa ad illa subeunda; secus autem quando adest: unde vita potest exponi pro salute spirituali proximi. Cum igitur ob tam notabilem, & rationabilem causam, qualis est spirituali propria saluti consulere, non poterit Novitia religionis austeritates etiam cum periculo vitæ subire? Maxime quia in præsentis casu periculum non est inevitabile; fieri enim potest, quod tractu temporis prædictis incommodis assuescat, & vires reddantur, ad ferenda religiosa observantiæ onera, promptiores.

Quar. 12. An Novitia peccet egrediendo,

Resp. Si egrediatur ex minus iusta causa, non peccare, docet Suar. Quia ad hunc finem institutus est annus probationis, ut religio experiatur Novitiam, & Novitia religionem. Si exeat ex levitate, vel religionis tædio, peccare venialiter, affirmat Sanchez, quia cum hic egressus fiat sine honesto, atque adeo sit deordinatus, non potest excusari a veniali peccato. Si vero Novitia prius voto religionis erat adstricta, peccare mortaliter, docet Peyr. cum aliis ab ipso relatis *loc. cit.* Licet oppositum sustineant Gandav. Navar. & alii; & quidem probabiliter, teste Sanch. *lib. 4. c. 16. n. 89.* Quia votum intelligi debet juxta canones annum probationis concedentes; cum igitur canones probationis annum concedant experiendam religionem cum omnimoda libertate, cum eadem libertate exeundi intelligendum est votum ingrediendi religionem.

Quar. 13. An Novitia egrediens teneatur solvere expensas factas a monasterio.

Resp.

Resp. Non teneri, tradunt Communiter Doctores, quia multoties posset contingere, ut impotentia ad solvendum, libertatem tolleret ad egressum. Fallit tamen conclusio, quando intervenit pactum solvendi expensas, vel Religionis consuetudo, quæ est conformis Concil. Trid. c. 16. *regul. sess. 25.* ubi præcipit, omnia restitui Novitiis abeuntibus *excepto vitæ, & vestitu.* Et proinde Sac. Cong. Episc. die 2. *Mart. 1635.* decrevit expensas esse solvendas monasterio a consanguineis (cujusdam Novitii, qui ante professionem habitum exuerat. *Lezana tom. 1. qq. regul. c. 24. n. 3.*

Quar. 14. An Novitia volens discedere, sit impedienda ex ritu, quod non solverit expensas debitas vel ex pacto, vel ex consuetudine monasterio.

Resp. Non posse, ut notant Doctores *in c. non solum, de reg. in 6.* per illum textum, qui prohibet sub pœna excommunicationis impediri Novitias ne redeant ad sæculum. Possunt tamen repeti post discessum, & actio instituenta est contra ipsius bona, vel eorum, ad quos spectat eas solvere. Ita Doctores relati a Pasqual. *in Laur. p. 2. q. 50. n. 4.* uti subdit, neque posse denegari professionem Novitiæ nolenti solvere expensas debitas ex pacto, vel consuetudine, quia non solvere expensas non detrahit de habilitate, cum sit quid extrinsecum, & habilitas attendatur secundum personalia; judicium autem, & deliberatio de admittendo, vel non admittendo ad professionem regulari debet secundum mensuram qualitatum personalium. Quod tamen limitandum est, nisi non solutio argueret aliquod vitium personale, quia tunc ratione talis vitii posset rejici.

Quar. 15. An Novitiæ egredienti sit restituendus habitus factus suis expensis.

Resp. Omnes vestes esse restituendas, per verba illa *omnia restituantur*, quibus utitur Conc. d. c. 26. *in fin.* Dicitio enim *Omnes* est universalis, ut cum aliis citatis probat Barb. *de potest. Episc. allegat.* 101. n. 39. ubi refert. Sac. Congr. censuisse, habitum religiosum non esse exeunti restituendum, sed tantum ei solvendum ejus pretium, habita ratione valoris illius temporis, quo eum deponit, non quo factus est, ut notat Peyrin. *loc. cit.* subdens n. 108. quod si datus habitus emptus sit non pecunia Novitiæ, sed elemosynis devotorum, eo sine datus, ut religionem ingrederetur, tunc non venit ex justitia restituendus, cum enim convenire non possit Novitiæ, nisi quatenus religiosæ, censetur datus intuitu religionis, & per consequens religioni. Sicuti, licet legatum factum Episcopo ab ejus consanguineo censetur intuitu personæ relictum, *c. requisisti de testam.* si tamen est de re convenienti Ecclesiæ, Ecclesiæ acquiritur, quia ex qualitate rei donatæ præsumitur intuitu Ecclesiæ relictum. Sanch. *de matrim. lib. 6. disp. 26. n. 15.*

Quar. 16. An Novitiæ possint sibi eligere sepulturam.

Resp. Posse, quia cum nondum sint obedientiæ voto adstrictæ, habent propriam velle, & nolle; unde etiam testari possunt, & alia similia exercere, in quibus requiritur proprium velle, & nolle. Ita Armil. Tabien. Villalob. & Diana *p. 5. tr. 3. ref. 109.* contra Lavor.

Quar. 17. Ubi sepelienda sit Novitia, si decedat non electa sepultura.

Resp. Else sepeliendam in monasterio. Ita

Sanch.

Sanch. Grat. Lavor. & Peyr. *loc. cit. n. 130.* Quamvis enim Novitia non sit incorporata religioni, est tamen ipsi aggregata in ordine ad experiendum, & est religioni addicta in ordine ad Sacramenta, etiam quæ a Parocho ministrari debent, ut Viaticum, Extrema Unctio; & Communio Paschal's. Unde cum non sit amplius subdita Parochi, sed religionis subjectione voluntaria, quoad sepulturam quoque spectabit ad monasterium.

Quar. 18. Quid agendum, si Novitia esset in proposito redeundi ad sæculum.

Resp. Non esse in monasterio sepeliendam, sustinet Sylvester, quia ex voluntate redeundi ad sæculum resultat evidentem, quod velit in sæculo mori, & per consequens, quod eligat in sæculo sepulturam. Oppositum tamen tradit Pasq. *loc. c. 9. 57. n. 3.* Nam hoc propositum non extrahit Novitiam a statu Novitiarum, sicuti neque voluntas mutandi Parochiam subtrahit a jure Parochiali, sed requiritur factum solvens illum contractum, quo Novitia se tradidit experiendam religioni; siquidem actualis reditus, non voluntas redeundi ad sæculum facit redire: unde non sufficit in hoc velle, sed requiritur executio, *l. quid. cum filium ff. de har. instit.* ubi Imol. Bart. & cæteri Doctores.

Quar. 19. Quibus expensis sepelienda sit novitia.

Resp. Ex Peyrin. Laym. Samuele, & Lezana, si ex pacto, & consuetudine tenetur Novitia solvere expensas alimentorum, tunc manebit obligatum ejus patrimonium, seu bona ipsius ad expensas pro sepultura, quia expensæ pro sepultura sunt accessorix ad expensas alimentorum; & qui tenetur alere, tenetur etiam curare sepulturam. Si vero Novitia non

S

3

tenc-

tenerur ad expensas alimentorum, tunc, quia cum monasterium recipiens Novitiam se obligat ad alendum, manet etiam obligatum ad expensas sepulturæ.

Quar. 20. An Novitiæ possint in mortis articulo profiteri intra annum probationis.

Resp. Posse, ut supra innuimus, c. 2. §. 6. q. 2. dummodo sextumdecimum ætatis annum expleverint, quia hoc expresse mandatur in privilegio. Non per hoc monasterium succedit in dote, ut pariter dictum est c. 2. §. 5. q. 23. & censuit Sac. Congr. Conc. in una Ordinis S. Francisci Minor. obsorv. die 20. Martii 1649. ad c. 15. sess. 25. de regul. Atque adeo non tenerur ad suffragandum animæ Novitiæ defunctæ, neque ad orationes, & sacrificia, pro aliis monialibus fieri solitas; quia cum non sentiant commodum ex professione illa Novitiæ, neque incommodum sentire debent. *Caram. Theol. regul. n. 464.*

Quar. 21. An Novitiæ gaudeant privilegio canonis; & fori.

Resp. Gaudere; quia in favorabilibus Novitius venit appellatione monachi, & quamvis sit tantum in via ad monachatum, reputatur tamen pro persona ecclesiastica, ut tenet *Gloss. in c. religioso §. quomvis de sent. excom. in 6.* ubi Gemin. & ceteri Canonistæ. Nec refragatur, quod Novitiæ possint redire ad sæculum; nam etiam clerici in minoribus redire possunt ad statum laicalem, & tamen quandiu in statu clericali vivunt, censentur personæ ecclesiasticæ. Hinc est quod Novitiæ ex receptissimo usu immunes sunt ab onere quoad personas, & quo ad bona, ut docent Molina cum aliis relatis a Pignat. tom. 4. con-

Jul.

Jul. 119. n. 6. Ubi ex probabiliori sententia extendit supradicta privilegia etiam ad Novitias impuberes, quia verè sunt Deo dicatæ; nam sunt acceptatæ ad religionem per legalem, & juridicam susceptionem habitus regularis, juxta morem, & præscriptum religionis. Atque adeo, licet non sint proprie Novitiæ: quatenus non sunt intra annum probationis, sunt tamen captatæ ad communicandum in habitu religioso.

Quar. 22. An Novitiæ gaudeant privilegiis religionis.

Resp. Gaudere; sunt enim etiam ipsæ pars, & membrum religionis, unde debent cum suo toto communicare: & si religionis sustinent onera, æquum est, ut sentiant etiam favores, & privilegia. Ita aliis relatis Diana p. 3. tr. 2. res. 73. contra Rodriq. & Portel. negantes gaudere privilegiis, quæ conceduntur religiosis professis, nisi id ipsum in concessione exprimat, uti de facto interdum exprimitur. Gaudere quoque religionis indulgentiis, sicut moniales professæ, tradunt Caffarub. Portel. & Rodriq.

§. V.

De Sacristana obligationibus, & Privilegiis.

Quer. I. **A**N Sacristana peccet mortaliter, si negligat conservare lampadem accensam coram Sanctissimo.

Resp. Affirmative; quia eadem reverentia debet Eucharistia in ciborio custodiri, ac in sacrificio offerri, cum sit idem Corpus Christi, quod custoditur in cibario, & offertur in sacrificio. Si igitur peccaret graviter, ex

S 4

com-